

maxime jam offertorio facto, discedit, et aliquantulum exspectatus non revertitur. (S. Alph. n. 391)

II. Grave esset in celebratione adhibere feminam ad altare ministrantem (Decr. l. 3. t. 2. c. 1) : quo sensu verum est, urgente necessitate, satius esse ut sine ministro, quam cum femina ministrante celebretur.

Leve autem foret celebrare, femina a longe respondente, non autem ad altare ministrante. (S. Alph. n. 392) Idem, juxta regulam generalem de levi obligatione, licitum fit ubi causa rationabilis habetur : quod e consuetudine apud moniales recepta constare videtur. Attamen S. C. R. (27 Aug. 1836 ; Coll. S. R. n. 2745) id licitum dixit tantum " urgente necessitate. " Quantam autem necessitatem hanc esse velit, saltem in ecclesiis publicis, nondum liquet : nam postquam (14 Aug. 1893) responderat talem necessitatem non haberi in easu quo sacerdos secus omittire deberet Sacrum, quod minime necessarium sit ut praeceptum audiendi Missam impleatur, postea (12 Jan. 1894) hujus rescripti executionem suspendit donec allata nova rationum momenta perpendisset. (Act. S. S. l. 26. p. 573)

CAPUT VI.

DE SERVANDIS IN IPSA CELEBRATIONE.

§ I. REGULAE GENERALES.

250. I. Missam in universum celebrandam esse juxta rubricas missalis Romani a S. Pio V editi, inter omnes constat. Quanta vero sit earum obligatio in conscientia non ita convenit ; sed videtur omnino tenenda sententia quam cum S. Alph. (n. 399) sequuntur plerique recentiores (Ball. P. n. 355 ; Lehmk. II. n. 238 ; D'Annib. III. n. 383), et a qua plures veteres (Lugo, disp. 20. n. 104 seqq. ; Suar. disp. 83. sect. 3 ; Tambur. de Sacr. Miss. l. 2. c. 5. § 1) verbo potius quam re discrepabant. Nempe rubricae praescribentes servanda in ipsa celebratione, obligant sub gravi ex genere suo ; reliquae non obligant in conscientia, nisi quatenus proponunt obligationes jam aliunde existentes. Attamen in his posterioribus violandis facile potest irrepere peccatum veniale, fere ut dictum est de regulis religiosis per se non obligantibus sub culpa. (n. 87, IV) Ex altera parte, etiam inter priores videntur quaedam esse

directive seu instructiones doctrinales, quae non magis obligant quam doctrina in qua fundantur, puta quae continentur sub titulo : De defectibus etc. (Suar. disp. 85. sect. 1)

Probatur haec sententia imprimis e Bulla Pii V missali praefixa ; " In virtute sanctae oboedientiae praecipientes ut, ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis missalibus... penitus omissis... Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per missale hoc a Nobis nunc traduntur, decenter ac legant. " Unde patet praecerto rigoroso non tantum vetari aliorum missalium usum (nisi peculiari privilegio id indultum sit), sed etiam positiue imponi conformitatem cum ratione celebrandi in hoc missali descripta. At pro rubricis ante vel post Missam servandis non habetur tam strictum praecceptum ; immo, cum eas silentio praetermisserit S. Pius V eo loco quo primum erat eas commemorare, censendus est noluisse eas omnes stricto praecerto imponere.

Nec propterea tales rubricae uniuscujusque sacerdotis genio permittuntur, sicut neque in Ordinibus religiosis regulae mere directive in cujusque religiosi arbitrio ponuntur. Nam Ecclesia merito aestimare potuit pro regulis minoris momenti sufficere Superiorum vigilantiam et bonam sacerdotum voluntatem ad observandas rubricas quas practice raro neglegere possunt sine peccato levi, nisi causa rationabili excusentur. Nihil ergo nos cogit ut cum quibusdam recentioribus, praesertim Rubricistis (ut Coppin, Sacrae Lit. Compend. n. 6. seqq.) omnes omnino rubricas tamquam praecettivas habeamus.

Idem consequenter dicendum de S. C. R. decretis, quibus rubricae missalis authentice declarantur. Haec erunt praecettiva vel mere directive, prout rubricas intra Missam servandas vel reliquas afficiunt, nisi in his posterioribus amplior obligatio e subjecta materia vel verbis adhibitis colligatur.

251. II. Consuetudine abrogari nequeunt rubricae missalis in rebus majoris momenti, ne uniformitas substantialis in divini sacrificii liturgia pessumdetur.

Immo multi Rubricistae (Coppin, op. cit. n. 21 seqq.) contendunt omnem consuetudinem contra quaslibet rubricas esse ab Ecclesia reprobata, ideoque nullius valoris. Sed, ne proxim timoratorum sacerdotum vel ipsorum Praesulum condemnemus, omnino admittendum arbitramur : quasdam minoris momenti rubricas in desuetudinem abire posse. Sic ipsa S. C. R. interrogata : " Utrum possit servari consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis privatis a consecratione ad communionem, quamvis commode fieri possit ? Item quod tobaleae altaris usque ad terram a lateribus non pertingant ? " respondit 30 Dec. 1881 : " Ad utrumque servetur consuetudo. " Consuetudines vero quae

cultum divinum dedeant, unice tolerari possunt ad majora mala vitanda : quae raro timenda sunt in rebus quae unice ad clerum spectant, crebrius in iis quae a populo fiunt vel animadvertisuntur.

III. Aegre determinatur quaenam sit materia gravis vel levis in **omittendis Missae partibus.** Duplex regula cum S. Alph. (n. 404 seqq.) tenenda videtur :

1º Facile fit grave peccatum ubi omittitur aliqua pars Missae *ordinaria*, seu quae semper praescribitur, puta confessio quae fit ad pedem altaris, epistola, collectae principales, fractio hostiae, illius mixtio cum sanguine. Haec severius applicanda sunt canonii Missae, utpote cum essentia sacrificii magis intime *conexo*. Quare communiter censetur mortale omittere quamlibet canonis orationem, vel ejus verba ita mutare ut sensus varietur, etc. Id tamen ad ultimos usque apices determinari nequit, ut patet ex ipso dissensu AA. qui illud tentarunt. Sic, ut graviter peccetur omittendo nomina Sanctorum in canone, alii requirunt ut omittantur duo nomina, alii tria vel quattuor, alii octo vel decem. Cfr. S. Alph. n. 405. Nec multum ad proxim faciunt illae minutiiores omissionis gravis vel levis determinationes : siquidem nemo solet directa voluntate praetermittere Missae partem ; si qui vero quasdam omittunt ob neglegentiam culpabilem, eorum reatus dijudicandus est e causa generali omissionum et mutationum quam culpabiliter ponunt, non autem ex omissionibus quae reapse contigerunt. Cfr. Vol. I. n. 20.

2º In partibus *extraordinariis*, seu quae non in qualibet Missa dicuntur, veniale est singulas omittere, utpote minus arte cum sacrificio conexas, puta Gloria, Credo, sequentiam, collectas quae non sunt propriae Missae legendae, specialia quibusdam festis in praefatione vel canone. Si tamen plures simul partes omitterentur, gravis materia attingi posset. (S. Alph. n. 409)

252. IV. Sacerdos qui ob aegritudinem similemve causam ineptus esset omnibus rubricis servandis, posset tamen celebrare, saltem privatim, si quaedam tantum minoris momenti omittere vel mutare deberet, puta si nequiret hostiam *elevare*, si necesse esset nisi baculo vel utroque brachio super altare posito. Immo posset celebrare publice dummodo populos rationem *hujus* exceptionis edoceretur. (S. Alph. n. 402) Attamen, si res magis *extraordinaria* foret, puta si nequiret celebrare nisi sedendo, si ab altero sacerdote fulciendus esset, etc., dispensatio a S. Sede vel, pro *casu* transeunte, ab episcopo petenda esset.

V. Regulariter nihil licet addere iis quae, e rubricarum praescripto, in singulis Missis dicenda vel facienda sunt. Nam S. Pius V (l. c.) vetat

" ne in Missae celebratione alias caerimoniae vel preces quam quae in hoc missali continentur, addere vel recitare praesumant. " Id tamen mortale non foret nisi quaedam adderentur animo introducendi novum ritum vel in quantitate omnino notabili, praesertim preces quae in missali nullatenus contineantur.

Probabile est non agere contra hoc vetitum qui, tempore Missae, secrete aliquas orationes ex privata devotione recitat, quamvis imprudens haec devotio sit. (Suar. disp. 83. sect. 3) Probabiliter etiam licet addere, ex devotione vel ob justam causam, unam collectam, puta ob privatam aliquam necessitatem. (S. Alph. n. 411) Nec videtur haec opinio infringi responso S. C. R. 12 Aug. 1854 : non licere in Missis ad libitum sacerdotis orationes addere. Nam *orationes addere ad libitum* latius patet quam addere ex justa causa vel devotione unam collectam. (Ball. P. n. 361 ; D'Annib. III. n. 404, nota 47)

253. VI. Regulariter Missa *tractu continuo* celebranda est. Attamen :

1º Licet eam interrumpere post evangelium, ob contionem vel processionem excipiendo, ob proclamationes bannorum faciendas, et similia.

2º Antequam offertorium peractum sit, licet eam abrumpere iterumque incipere in gratiam supervenientis principis, episcopi, turbae peregrinorum vel processionis populi, si isti secus Missam die festo audire non possent, vel ob similem causam justam, puta si nuntius affertur sacerdotem qui postea Sacrum sollempne celebraturus putabatur, impedimento detineri, dummodo populus moneatur. (S. C. R. 3. Jul. 1869)

3º Licet abrumpere ante canonem, si sacerdos recordetur alicuius impedimenti, ex. gr. laesi jejunii (cfr. n. 202), vel si nominatim excommunicatus praesumat interesse nec possit expelli. (Bus. ap. S. Alph. n. 353)

4º Numquam licet Missam abrumpere post consecrationem unius speciei, nisi ad vitandum imminens mortis periculum vel S. Eucharistiae profanationem : quo casu sacerdos posset sumere statim hostiam vel secum ferre calicem alio in loco consecrandum. Cfr. n. 214, II. Quodsi eodem momento sacerdos deficiat, puta in infirmitatem lapsus, conandum est ut idem postea sacrificium compleat; quamvis cibum ad vires reficiendas sumere debuisse : nam legi jejunii ecclesiastici praevalet divinum praeceptum ut idem perficiat qui incepit. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 552) Quodsi ipse nullatenus pergere potest, obligatur quisvis aliis sacerdos, etiam non jejunus vel excommunicatus, ad sacrificium complendum. Attamen, elapsa una hora, cessat probabiliter obligatio quae rendi alium sacerdotem qui suppleat, quamvis etiam post plures horas supplere adhuc liceat. (S. Alph. n. 355)

Eodem modo perficiendum est sacrificium si celebrans deficiat post utramque consecrationem, sed ante sacri sanguinis sumptionem. Neque licet sacerdoti, qui ita sacrificium compleverit, alteram Missam celebrare, prout respondit S. C. R. 16 Dec. 1823. (Coll. S. R. n. 2630) Nihil vero supplendum, si deficiat ante primam consecrationem vel post utriusque speciei sumptionem, sacrificio nondum inchoato vel jam perfecto. (La Croix. l. c. n. 547 seqq.)

5º Licet Missam interrumpere ob gravem necessitatem propriam, puta morbum, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus. Pro aliis tamen sacramentis non ita necessariis, non decet inter consecrationem et sumptionem interrumpere, nisi moriturus esset in propinquuo, nec opus esset vestes exuere, vel nisi poenitentiae sacramentum ob phrenesim sumere non posset. Revertens autem ad sacrificium sacerdos, si fuerit ante facta consecratio, incipiet ubi desierit; ut, etsi facta non fuerit et parva mora intercesserit, ex. gr. minor quam unius horae; si autem longior, ordinetur ab initio. (Bus. ap. S. Alph. n. 354)

VII. Voluntaria distractio, quae sine justa causa inter celebrandum fovetur, semper quidem veniale culpam inducit (n. 59), gravem autem, tantum in casu quo alienae cogitationes cum plena advertentia foventur per notabilem canonis partem. (S. Alph. n. 410. dub. 5) Hanc gravem culpam plures in dubium vocant (La Croix, l. c. n. 443), eo quod non constat attentionem internam sub gravi praecipi. Attamen, cum, hanc sententiam suam restringant ad casum quo absit periculum errandi, ex altera vero parte fateantur hoc periculum vix afuturum, non adeo in praxi a reliquis dissident. Brevior autem distractio, etiam sub consecratione, probabiliter a peccato gravi immunis est. (La Croix, l. c.; Lehmk. II. n. 243)

254. VIII. Venialiter peccat qui Missae partem, quam clara voce proferre jubent rubricae, tam demissa recitat ut assistentes nihil intelligere valeant: violat enim rubricam praeeceptivam. (Rubr. gen. XVI) Excipe si forte, ne sacerdotes prope celebrantes perturbaret, vocem valde demittere deberet. (La Croix, l. c. n. 439)

Similiter levem culpam admittit qui partes secreto dicendas iam submisso recitat ut seipsum (sublato impedimento surditalis, strepitus, etc.) audire nequeat, vel tam alte ut non solum a ministris (quod vix vitari potest), sed et ab aliis assistantibus audiatur. Utrumque enim adversatur rubricae (l. c.): "Quae secreto dicenda sunt, ita pronuntiet ut ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur."

Graviter peccaret qui magnam canonis partem toto vocis conatu

efferrét (quod vix umquam fiet ab homine compote sui), vel qui verba consecrationis tam demisse pronuntiaret ut seipsum non audiret, nisi forte surditas celebrantis vel strepitus in ecclesia excitatus perceptionem impediret. Ratio posterioris partis est: sic exponi sacramentum periculo nullitatis, quia merito timendum est ne desit sensibilis ille modus quo verba illa pronuntianda sunt ut sint sacramenti forma. (S. Alph. n. 414; Lehmk. I. c.)

IX. De tempore quod Sacro celebrando impendendum sit, nihil lege ecclesiastica statutum est. Ex natura autem rei, numquam videtur Missa etiam brevissima absvolvi posse ea qua oportet cura et devotione infra tertiam horae partem; neque, si publice celebratur, eam notabiliter ultra semi-horam pretendere juvat, ne laetio afficiantur assistentes, (Bened. XIV, de Sacr. Miss. I. 3. c. 24) Videndum insuper num forte statuta particularia hac in re aliquid magis determinent: quae sane servanda sunt ab iis ad quos pertinent.

Nimia festinatio per se veniale culpam non transcendent. Censem tamen plerique AA. cum S. Alph. (n. 400), aegre a mortali excusari posse sacerdotem qui Missam, etiam e brevioribus, infra quadrantem absolvat; quia in tanta festinatione committet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiae erga sacramentum, alterum gravis scandali erga populum, ut fuse probat S. Alph. (l. c.)

§ 2. QUAEDAM PARTICULARIA PRAECEPTA.

255. I. Quilibet sacerdos in ecclesia vel oratorio publico celebrans tenetur, in ritu celebranda Missae, se conformare calendario ejusdem ecclesiae vel oratorii.

Jampridem e multis S. C. Rit. decretis constabat hac obligatione adstringi sacerdotes celebrantes in ecclesia vel oratorio cui adscripti sunt. Nuper autem Decreto Urbis et Orbis ab eadem S. C. edito (Act. S. S. t. 28. p. 438), eadem regula extensa est ad omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui ad alienam ecclesiam vel publicum oratorium confluunt; quod decretum Leo XIII 9 Dec. 1895 confirmavit: "Rescripta seu Decreta, tum particularia, tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema sua auctoritate penitus abrogando." Eadem obligatio pro exteris sacerdotibus vi cit. Decreti extenditur ad Missas etiam Beatorum, Regularibus concessas, sive in Romano, sive in Regularium missali contineantur; nequeunt tamen exteri adhibere ritus Ordinum proprios, ex. gr. addere in *Confiteor* nomen S. Fundatoris. Tandem ex eodem Decreto: "Si in dicta Ecclesia vel Oratorio, Officium

ritus dupli inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrente feria, iis tantum exceptis diebus in quibus praefatas Missas rubricae Missalis Romani vel S. C. R. Decreta prohibit. „ In hoc casu, si Missam proprio officio respondentem celebrare mavult sacerdos exterus, eam non ritu volvo, sed prout in ejus calendario determinatur, celebrare debet. (S. C. R. 14 Mart. 1896)

Oratoria publica in hoc decreto intellegenda sunt non tantum ea quae sensu maxime proprio hoc nomine veniunt, sed praeterea capella *principalis* erecta in domibus episcoporum, in seminariis, collegiis, piis communitatibus, hospitalibus et carceribus, (S. C. R. 22 Maii 1896; Act. S. S. t. 28. p. 698) seu in iis oratoriis quae, juxta decretum S. C. R. 23 Jan. 1899, semi-publica nuncupantur. (n. 241) Neque obstat in iis oratoriis nonnisi unum sacerdotem celebrare solere qui, qua Regularis, speciale calendarium habeat. Ab hoc enim relinquendum esse calendarium ordinis ut sequatur dioecesanum, respondit S. C. R. 27 Jun. 1896. (N. R. Th. t. 28. p. 678) Idem dicendum est de oratorio seminarii dioecesani alicui Congregationi vel Ordini habenti speciale calendarium commissi, ut de seminario commisso Congregationi Missionis respondit S. C. R. 20 Mart. 1880.

Ex cit. responso 27 Jun. 1896 constat sacerdotem celebrantem in oratoriis principalibus monialium quae canonicum officium persolvant, teneri ad secundum earum calendarium. Etenim S. C. R. interrogata de sacerdote qui apud hujusmodi moniales Missam conventualem seu sollemnem celebret, respondit tantum: „ Servandum generale decretum 9 Dec. 1895. „ Patet haec minime applicanda esse celebranti apud moniales quae tantum B. M. V. Officium persolvant.

II. Sacerdos celebrans in **oratorio privato** tenetur se conformare calendario suo, vid. saecularis **calendario dioecesis sua**, regularis calendario Ordinis sui, si proprium habet.

Hanc regulam jampridem plura responsa S. C. R. (12 Nov. 1831; 23 Maii 1835) statuerant. Eamdem saltem implicite confirmat novisque determinationibus amplificat generale Decretum 9 Dec. 1895 cum explanationibus suis. Ex iis patet oratorii *privati* nomine, in ordine ad praesens argumentum venire non tantum illud **in quo e solius R. P. licentia celebrari potest** (n. 241, III), sed etiam **oratorium secundarium** erectum in seminariis, domibus religiosis, etc.

256. III. Qui die vetito Missam **votivam** vel de Requie celebraret, secluso contemptu et scandalo, venialiter **tantum** peccaret: in hac enim rubricarum transgressione nulla **apparet notabilis** perversio ritus.

(S. Alph. n. 420) Quibus diebus liceat Missas votivas vel de Requie celebrare, videsis apud Rubricistas. Ut autem judicetur num quandoque licitum sit aliis diebus, secluso scandalo Missam celebrare a calendario discrepantem, existimamus cum Ball. P. (n. 364) idem de hac mutatione dicendum esse quod de mutatione officii dictum est. (n. 52, IX)

IV. Certe a peccato immunis est qui omittit orationes quae in missali pro praeparatione ad Missam ponuntur: assignantur enim dicendae “pro opportunitate sacerdotis celebraturi.”

Caerimoniale lotionem manuum ante Sacrum, plures (S. Alph. n. 409) sub levi obligare putant. Alii, ut Suar. (de Euch. disp. 82. initio), rectius existimant rubricam hanc mere directivam esse: non agitur enim de praescriptione servanda in ipsa Missae celebratione, saltem si hanc sumimus in sensu presso. (n. 250) Pariter controvertitur de precibus quas rubricae ponunt a sacerdote, dum vestes sacras induit, recitandas. Ob rationem praedictam censemus, cum Tambur. (de Sacr. Miss. I. 1. c. 7. n. 2), non constare de levi peccato quod S. Alph. (n. 410) cum plerisque AA. in earum omissione agnoscit. Lotio manuum post Sacrum certe absque peccato omitti potest. Orationes vero dicendae in recessu ab altari etiam juxta communem sententiam (S. Alph. I. c.) non obligant sub peccato, seu (ut quidam scribunt) quia in rubrica non est de iis praeceptum, sed mera insinuatio, seu (quod verius putamus) quia jam completa est proprie dicta Missae celebratio.

V. Illicitum est, absque indulto S. Sedis, in celebranda Missa uti pileolo. Cfr. Decr. S. C. R. ab Urbano VIII probatum et missali appositum. Mortale autem communiter censemus DD. totam Missam celebrare capite cooperio. Sed si pileolus initio canonis deponeretur, probabilius desineret gravis irreverentia et culpa. Quare ita celebrare prorsus licitum erit, urgente causa rationabili, ex. gr. si sacerdos ob senectutem vel morbum nequiret sine notabili incommodo celebrare capite detecto. (S. Alph. n. 397) Attamen, ut diu pileolus inter celebrandum adhiberetur, opus esset venia S. Sedis.

Similiter illicitum est, sine privilegio S. Sedis, celebrare cum ficto capillitio: id enim severe prohibuit Innoc. XI. (21 Mart. 1689; S. Alph. n. 398) Hanc prohibitionem contraria consuetudine in Gallia abolitam esse testantur quidam AA., ex. gr. Gury. (II. n. 409) Idem de Belgio dicendum non putamus, saltem ubi statuta synodalia necessitatem facultatis Pontificiae commemorant. (Stat. Mechl. n. 34) Sed gravem reatum in hujus legis transgressione committi non censemus, cum jam desit ratio quae videtur praecipue impulisse ad severam illam prohibitionem

sub pena suspensionis, nempe indecentia vani ornamenti inter celebrandum adhibiti. Cfr. n. 33,

Nulla autem generali Ecclesiae lege vetitum est ne deferatur inter celebrandum circulus ex capillis confectus, quo tamen nuda relinquatur pars capitis ubi clericalis tonsura designatur. (Bened. XIV, Inst. 34. n. 14.)

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

257. Hoc summi momenti argumentum dividemus in sectiones tres : in prima, de sacramento poenitentiae universe inspecto, in secunda, de subjecto illius seu poenitente, in tertia de ministro seu confessario agemus.

Non referemus hic plura quae de hujus sacramenti natura et institutione omnibus nota sunt et scientifice a Dogmaticis tractari solent ; ex iis suo loco ea tantum recolemus, quae cum quaestionibus moralibus intime conexa sunt. Similiter de natura virtutis poenitentiae non agemus ex professo : quaecumque enim ex hoc arguento ad nostram disciplinam faciunt, satis innotescunt ex iis quae sectionis secundae c. III de contritione dicturi sumus.

SECTIO I. — DE SACRAMENTO POENITENTIAE UNIVERSE INSPECTO.

CAPUT I.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

§ 1. DE MATERIA REMOTA.

258. Materiae remotae nomine hic intelleguntur peccata, circa quae versari possunt contritus poenitentis et absolutio sacerdotis. Unde liquet hoc vocabulum alio sensu hic adhiberi atque in reliquis sacramentis : sic in baptismo materia remota est aqua, non peccata baptismi delenda.

Distingui solet materia remota in necessariam et mere sufficientem seu liberam.